2

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

MORBO VENEREO.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

D. ANDREÆ WEIS,

PHILOSOPHIÆ ET JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS, NEC NON JURIS PUBLICI ET PRIVATI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus et Privilegiis, rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum Examini Submittit

JACOBUS CAIRNOAN,
HIBERNUS.

Ad diem 18. *Junii* 1753. *hora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GERARDUM POTVLIET, 1753.

ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMO

D O M I N O

ROBERTO KING,

BARONI DE KINGSBOROUGH.

ETC. ETC ETC.

S. P. D.

J A C O B U S   C A I R N O A N.

Quoties animo mecum repeto, quod nunquam non facio, tua in me præclara beneficia Amicitiamque ſummoperè æſtimandam, quibus me tibi penitus devinxiſti, hanc mihi occaſionem eripi nolui, quin candide grati Animi tibi teſſeram, *Vir Illuſtriſſime*, publice offeram. Ingens hic mihi pateret campus in commemo-

randis tuis virtutibus, ſatis ſuperque ubique notis; ſed magna ad id faciendum eloquentia, qua penitùs careo, non tantum requireretur, ſed quoque citra ullam adulationis ſuſpicionem id agere, eſſet difficillimum: Præterea optimè novi, te pro tua ſapientia, & ingenii acumine, libenter inanibus iſtis verborum laudationumque pigmentis carere, cum vere maximorum meritorum decoribus abundas.

Solique lumen accendere nefas eſſe duco.

Accipe itaque leve hocce munuſculum, ea qua ſemper ſoles humanitate, & licèt Meritis tuis in me penitus Impar ſit, animum donantis certè ſincerum non aſpernare. Vale.

Dab.
Lugd. Bat. ad diem
18 *Junii* 1753.

PROOE-

PROOEMIUM.

Niſi mos & inſtituta florentiſſimæ hujus Academiæ exigiſſent, ut aliquod Specimen Studiorum meorum darem, quòd pro gradu Doctoratûs in Medicina obtinendo defenderem. Certe de hacce diſſertatione edenda, nunquam cogitaſſem; quia merito temeritatis me accuſare poſſem, quod verbis aut ordine, morbum aliquem exponere auſus fuerim, & talem quidem de quo tam multi in arte Medicâ Viri præſtantiſſimi, ita prolixè ſcripſerunt, ut fere videatur nil reſtare, quæ eorum illuſtrationibus de hoc morbo datis adhuc addi poſſint.

En autem rationes breviter exponam, quæ me præ cæteris imputerunt, ut præferrem de Lue agere Venerea. Cogitans nempe de argumento pro ſpecimine Inaugurali, totus hæſitabam; quodnam eligerem; putavi interim eum præprimis eligendum eſſe morbum, quem curandi frequentior mihi data

 fuit

fuit opportunitas, multasque obſervationes faciendi. Inſuper quoniam ſatis ſciebam nulli me argumento pro dignitate tractando aptum ſatis fore, ſperavi facilius veniam me impetraturum eſſe, ſi in difficiliore quam in faciliore erraverim.

Neceſſarium eſſe duco, ut præcurſoriè L. B. moneam, nunc mihi per temporis penuriam, anguſtias limitum præſcriptorum, & tenuem juvenilis ingenii aciem, non licuiſſe quidpiam proponere, vel de Natura, modo Inficiendi, Symptomatibus, Prognoſticis, aut Diagnoſticis hujus morbi atrociſſimi. Qua de cauſa, fere in omnibus, quæ ad hæc pertinent, lectorem relegare vellem, ad eruditiſſimum Aſtrucii Tractatum, ubi prolixe hanc materiam tractatam inveniet. Atque ego, hiſce Arctis Conſtrictus Cancellis, articulum illum in Methodo Sanandi tantum paucis diſquiram, quæ longo jam ab ævo inter viros eruditos fuit ventilata, cujusque controverſia nondum deciſa, adhuc viget.

Num nempe ſalivatio, in Curatione Morbi Venerei, abſolutè ſit neceſſaria nec ne?

Partem Negativam in ſequentibus, (quantum Vires permittent,) aſtruere, & firmis argumentis probare conabor.

DIS-

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MORBO VENEREO.

§. I.

De ætate Luis Venereæ inter Authores plurimùm controvertitur. Antiquum alii, alii novum prorſus morbum eſſe aſſerunt. Horum partes (*a*) Aſtrucius, illorum (*b*) Beckettus aſſerit. Negativum ille ex Medicorum & Poætarum Columbi expeditione priorum ſilentio; poſitivum hic, ex loquacibus angliæ monu- men-

(*a*) De Morb. Vener. (*b*) Vid. Diſſertation. tres de Antiquitate Luis Vener. transact. Philoſoph. tom. 5. Henric. Jones pag. 381. & ſeq. Philoſoph. Transaction. tom. 31. pag. 47. & ſeq. & pag. 108. & ſeq.

mentis, eadem expeditione, vetuſtioribus argumentum depromit. Hæc Gonorrheam, (*c*) Carunculas Urethræ, (*d*) fragiformes alias (*e*) verrucis ſimiles, (*f*) ulcuſcula Balæni contumacia (*g*), ſeu cancros, inguinum bubones (*b*), tibiarum exoſtoſes, (*i*) Ozenam, ulcera gutturis, vocem raucam, (*m*) pilorum defluvium, (*n*) & caſum naſi (*o*) ut cætera taceam, (*p*) memorant. Therapeiamque exponunt Carunculæ, Cathæreticorum & Candelarum cerearum uſum (*q*), infectionis modum a Gilberto, circa annum 1360. traditum, (*r*) Et nefandi hujus morbi prophylaxim, unica caſtratione ſperandam, (*s*) quaſi ſola venere propagaretur.

§. II.

Cujuscunque tamen ævi fuerit Lues Venerea, ſufficit nobis benignum numen mortalibus antidotum dediſſe; quod medici totidem tentare modis curarunt, quot ipſum adhiberi, alterari, celerari poſſe crediderunt. Hinc methodorum, quæ occurrunt, multiplex varietas, hinc arcanorum quæ ad ſidera tolluntur, mira ubertas. Primas tamen, nec immerito, tenet unguen-

(*c*) Transact. Philoſoph. tom. 31. pag. 51. Arſura qualis eſt noſtra Gonorrhæa. (Brenning Anglice,) h. e. Ulcus penis cum puris effluxu, cui Injectionibus Anodynis, & aſtringentibus medebantur. (*d*), Philoſoph. Transact. tom. 31. pag. 50, 51. (*e*) Ibid. (*f*) Ibid. (*g*) Ibid. (*b*) Ibid. pag. 52. (*i*) Ibid. tom. 31. pag. 52, 53. (*m*) Ibid. pag. 59. (*n*) Ibid. (*o*) Ibid. pag. 62. (*p*) Ibid. quæ in tribus dictis diſſertationibus leguntur. (*q*) Ibid. pag. 52. (*r*) Ibid. pag. 58. (*s*) pag. 61.

guentum mercuriale, ab Arabibus primo, poſtea ab aliis bene multis in Europa Medicis, decimo tertio, decimo quarto, & decimo quinto ſeculis, contra pediculos, Scabiem, Herpetem, cæterasque cutis defœdationes adhibitum. (*t*) Idem Jacobus Carpenſis, (*v*) & coætanei plures, (*x*) cum ſolita incaſſum remedia experti eſſent, mali ſimilitudine moti in uſum advocare non dubitarunt. Initio puſtulis & ulceribus (*y*) admovere, dein hæc & interſtitia oblinire, ſelectas poſtea, (*z*) & tandem ſingulas gradatim partes inungere ſubit; creſcente ſcilicet in dies experimentorum numero, inunctiones ſolertius adminiſtrari (*a*), Mercurii vires cogitatius explorari (*b*), illius effectus accuratius adverti (*c*), unguentum ſimplicius & fortius confici (*d*), hydrargirum interius præſcribi (*e*), novumque quod movet purgationis genus, pro certiſſi-

(*t*) Nic. Maſſa de Mor. Gal. Tract. 4. cap. 3. Aſtruc de M. V. pag. 151. (*v*) Fallop. de Morb. Gal. cap. 76. (*x*) Cataneus de M. G. cap. 7. de Vigo. Aſtruc. & alii. (*y*) Windel. de Hook cap. de Unguent. & de natura argenti vivi. (*z*) Ibid. Johan. Benedict. Almenar. Bethencourt. Maſſa. Paſchalius. Theodor. de Hery. Botall. Aliiq. plures. (*a*) (*b*) Almenar. cap. 6. Collection. Luſinian. Alexand. Benedict. Angel. Bologn. Matthiol. Fracaſtor. de Syphillide aliique plures. (*c*) Ibid. (*d*) Angel. Bologn. de Compoſition. Ung. ann. 1507. Georg. Vell. ann. 1501. Maynard. ann. 1518. Vid. Vid. ann. 1550. Petrus Pig. ann. 1606. Viger. ann. 1657. Sicque deinceps ad hodiernum usque diem. Nunc temporis, apud omnes, vel ½ pars, vel tertia totius Ung. pars hydrargyrum fit. (*e*) Aſtruc. L. 1. pag. 165. & ſeq.

tiſſima Luis Venereæ Medecina haberi, in uſu erat: (*f*) quæ ubique tamdiu valuit opinio, usque dum Monpelii (*g*), & nuper Pariſiis (*h*) de ableganda ſalivatione, Diſſertationes experimentis fulcitæ prodierunt. tentaminibus anſam dedit tenellulorum infantum, invalidorum ſenum, Epilepticorum, Scorbuticorum, quibus interiora oris ulcerata, gingivæque eroſæ fœtebant, afflictorum ſcrophulis, febre lentâ laborantium, conſumptorum macie, gravidarumque viru Venereo inquinatarum tractatio (*i*), quam juxta conſuetam methodum, non niſi ſummo abortus, ſalutis, vel vitæ periculo: (*k*) ſucceſſu autem proſperrimo, ſi Ptyalismus aut alia quævis evacuatio notabilis vitarentur (*l*), celebrari ſæpius obſervatum eſt. Plures igitur ætate, ſexu, temperie, viribus, patriâ, moribus, vitæ genere, ſymptomatum numero, diuturnitate, & acerbitate diſcrepantes, eo inungi modo curatum eſt, ut nullus ſalivæ fluxus, nulla inſignis excretio proritaretur (*m*). Res votis ſuccedit (*n*) Quam ratio ſua-

(*f*) Aſtruc. (*g*) Theſis D. Chicoynneau Monpel. frictiones Mercuriales non ſunt adhibendæ in hunc finem, ut ſalivæ fluxus concitetur ad Curand. M. V. (*h*) Theſis Dom. Cantwelii. (*i*) Ejusd. Diſſertation. D. Chicoynneau Obſervat. 5, 6, 7. (*k*) Ibid. & Aſtruc. pag. 452. & ſeq. (*l*) Ibid. (*m*) Ibid. ducto forſan exemplo a Jacobo Bethencourt 1527. Nicol. Maſſa 1532. Johan. Paſcal. 1534. Aloy. Lobera 1544. Theoderic. de Hery ann. 1552. Leonard. Botall. 1563. Petrus de Torrez ann. 1600. Hercul. Saxon. ann. 1597. Sebaſtian. Cortilion 1610. aliique. (*n*) Diſſertat. Laud. vid. Chicoynneau & Cantwel.

ſuaſit, experientia comprobavit, eventus, in nullo Ptyaliſmum caſu, neceſſarium eſſe, oſtendit. (*o*) obsoleſcit, exinde Monſpelii ſalivatio. Obſoleſcit etiamnum hodie Pariſiis, qua de cauſa Cantwellius, invincibilibus argumentis & experimentis, ſuam de hac re Theſin, coram tota facultate medica accerrimè propugnavit. (*p*) quam nos ſententiam ſequentibus rationibus conabimur aſtruere.

§. III.

Lues Venerea morbus contagioſus, quo propagatur miasma corpori intromiſſum, humoribus & ſanguini labem infert. Ubi ſubit vel vaporis ſpecie, adhæreſcit, nidulatur, penetrat, circumlambentem fluidorum indolem immutat, ſuam impertit noxiam virulentam. Hinc multiplicata, aliis connubio guttulis jungitur, aliis aſſociatur, alias generat ſui ſimiles. Gliſcit tacite venenum, & pedatim ſerpens, in ſanguinem delatum, ſingula gradatim vaſa pervadit, ſingulas vaſorum ambages luſtrat, novasque ubique tragædias ludit. Sic invaleſcit morbus in dies, imas carpit medullas, totamque contaminat machinam, inficit, peſſundat, quo ſtadio, ne vel ultimam globulorum ſeriem, omnis contagii immunem aſſerere, ratio non diſſuadet.

§. IV.

Hoc ſi undique ſubducas, vel in vaſis deſtruas, mor-

(*o*) Ibid. (*p*) Vid. Theſ. Cantwel.

morbum tollis; unica ſuperſtes particula renovabit, intendet. Alterantia hinc, evacuantia illinc percipis indicari. Utraque ſed incaſſum in uſum vocabant antiquiores Medici (*q*), quibus ignoto, vel damnato Mercurio, curatio methodica pro omni præſidio erat.

§. V.

Soli inſiſtendum evacuationi, quæ argenti vivi uſu obtineatur, primus omnium (ni fallor) præcepit Angelus Bologninus. (*r*). Nec alium in finem a quovis, ante annum 1718. adhibita reperies vel Mercurium, vel Guaiacum, niſi forte Petrum Maynardum, (*s*) Petrum Bayerum (*t*), vel horum ſuperiores (*v*), qui doloribus leniendis puſtulisve, aut ulceribus ſanandis, præmiſſa ſemper Therapeiâ methodica, inunctiones aptas æſtimabant, volueris excipere. Variis tamen varii modis educendam materiem morbificam cenſebant. Ptyalismo ferè omnes, (*x*) Catharſi plures (*y*), utroque pauci (*z*). Hi ſudores (*a*) illi perſpirationem inſenſibilem (*b*); alii diureſin (*c*) cien-

(*q*) Nicol. Leonicen. Natal. Monteſaur. Bartholom. Montagnan. de Hutten. Laurent. Friſ. Leonard. Fuch. Fernel. Dom. Leo. & alii plures quos vid. apud Aſtruc. (*r*) 1507. (*s*) 1518. (*t*) 1557. (*v*) Gaſp. Torell. 1497. Jacob. Rom. & Sebaſtian. Aquilan. 1498. (*x*) Leg. tom. 11. Aſtruc. (*y*) Vell. Georg. Dordon. Jacob Cooke, & plures alii. (*z*) Overchamp. Turquel. de Magerne. Paul de Sorbait. Palmarius. Pitcairne. (*a*) (*b*) (*c*) Longus horum ordo, apud Aſtruc, reperitur. lege Cooke. Saporta.

cienda hortabantur. Neque defuerê qui, vomitu (*d*), mercurialibus excitato, Luem Veneream curari aſſerere rent. Verum, quamvis ſingulis hiſce modis reſtitutos non paucos ſanitati concederem, non ideo ſanatos crederem, quòd ſeminium morbi materiem antecedentem excerni mercurius effecerit, corpusque a ſuperfluiditatibus mundaverit (*e*), ſed quod vitium humorum correxerit, pravam diſpoſitionem alteraverit, venenum extinxerit (*f*). Vel ut Trincavellii verbis utar, quod malignam hanc luem deleverit, & mutaverit illam Dyſcraſiam, quæ fomes eſt, & fundamentum iſtius mali effectûs.

§. VI.

Etenim 1°. Evacuantia quævis absque Mercurio, cathartica, emetica, ſudorifica, diaphoretica, diuretica, apophlegmatiſantia parum efficacia eſſe, hodie apud omnes in confeſſo eſt. 2°. „ Non raro accidit, morbum ſolvi virtute exſiccativa linamenti „ Absque ullo ſigno ſenſibili evacuationis (*g*), quin „ ullus appareat fluxus materiei ab ore, ullus fluxus „ ventris, aut aliquod ſignum evacuationis manifeſtæ (*h*). 3°. Ubi ægritudo ingens eſt, (*i*) vel inun-

(*d*) Præcipitat. rub. poſt Vigonem uſi ſunt. Zac. Luſitan. prax. hiſtor. lib. 8. cap. 1. pag 31. & ſeq. Turpeth. mineral. apud Anglos, in uſu famil. Cooke, ibid. (*e*) Anton. Bolognin. (*f*) Vid. Aſtruc. lib. 2. cap. 2. pag. 127. (*g*) Ibid. (*h*) Nicol. Maſſa, lib. 4. cap. 2. (*i*) Georg. Dordon.

inungendi debiliores, illitiones ita miniſtrat ſanior medicorum pars, ut & Ptyalismus, & omnis excretio ſenſibilis vitentur. (*k*) 4°. eandem feliciter methodum, in robuſtioribus experti ſunt, D. D. Chieynneau, & Cantwell. 5°. Salivationem, ad exterminandam Luem Veneream, abſolute neceſſariam non eſſe Doctiſſimus ipſe fatetur Aſtrucius. (*l*) „ Cæterum experientia, „ omni ratione major, medicos jam pridem docuit, „ mercurium, etiam dum nullam ſalivationem ciet, „ cæteroqui tamen eosdem effectus in ſanguine præ„ ſtare, ac ſi ſalivatio legitima mota foret, modo de„ bita copia ad ſanguinem penetraverit; & proinde „ attenuatis liquidis, reſeratis vaſis, reſtituto Oſcil„ latorio partium motu, disgregatis obicibus, pro„ fligato ſemineo morboſo, Luem Veneream radici„ tus perinde extirpare." (*m*) 6°. Cum nullum morbo jam confirmato corporis punctum, nullusve humorum globulus, virûs immunis dici valeat, evacuatione morbum penitùs tollere, eſt ſeminium morbi ſingulis inhærens punctis elicere, eſt ſingulos humorum globulos, qua datâ portâ, expurgare, novosque illibatos contaminatis ſubſtituere (*n*); ſinguli quippe globuli ſeminium morboſum aut conſtituunt,

(*k*) Chicoynneau. Diſſertation. laudat. Cantwel. Theſi laudat. (*l*) Aſtruc. pag. 216 - 235. (*m*) Aſtruc. pag. 216. (*n*) Sanguinis Miſſione Multoties repetitâ.

tuunt, aut continent. Simultaneam humorum expurgationem repugnare, nemo non videt; Succeſſiva ſingulis veneni particulis educendis impar eſt; etenim, quæ primæ evacuationi ſupereſſent fluida, eandem quâ peccant labem, advenientibus inurerent, circulatione extenderent, calore foverent, multiplicarent, alerent. Quænam vero præciſe ſanguini mutatio, vel quo præciſe modo hæc a Mercurio inducatur, quamvis abſcondita ſpecialis veneni natura determinare id vetat, iterato antidoti, in venenum impetu opus eſſe, Phyſica docet, & praxis confirmat; omnis enim actio corporis motus eſt, & eo medici conſilio mercuriali utuntur linimento, ut Hydrargyri particulæ canales ſubeant, & quaquaverſùm raptæ, in Luem fluidis hoſpitem incurrant.

§. VII.

Hinc 1°. frictiones ſibi mutuo ſuccedunt, a pedibus ad ſuperiora aſcendentes. Sic enim fluido, primùm venoſo, dein arterioſo repetitis vicibus optime miſcetur. 2°. Si caput dolor, vel gravitas occupet, faciem puſtulæ, ſcabies, herpes, ulcera, exoſtoſis, aliumve ſymptoma venereum dehoneſtet, axillas bubo repleat, pectori abdominive vel minima morbi nota inſideat, frictionibus perinde (o) ac reliquæ partes ſubjiciuntur, ut morbi cauſa potentius infirme-

(o) Leonard. Botall. Collect. Luſian. Lugdun. pag. 889. Braſſavol. idem. pag. 691.

firmetur. 3°. Eo pars quælibet affecta ſæpius inungitur, quò ſymptoma, quo laborat, contumacius eſt, & remedio magis reſiſtit. Sic exoſtoſin tibiæ inſignem, diebus a frictioni liberis, quindecies illinire contigit. Sic alteram quæ frictionibus, rite celebratis, nullatenús ceſſerat, frictione decies repetitâ oppugnare neceſſe habui. 4°. Cum pars affecta, fauces, vel interiora oris ulcerata, propter ſitum, humiditatem, aliamve quamvis rationem, illitioni minus apta ſit, ſoluto frequenter madefieri hydrargyro aſſolet, quo latens contagium citius & expeditius debelletur. 5°. In affectionibus quibusdam localibus, (*p*) tumoribus, exoſtoſibus, herpete, præter unguenta, utimur nonnunquam emplaſtro vigonis, aliquando & ſuffitu (*q*), ut morbi vires certiùs frangantur.

§. VIII.

Cura igitur morbi poſtulat, ut remedium ſingulos corporis ductus percurrat, ſingula corporis puncta attingat, ſingulis humorum globulis occurrat, ſingulas virûs particulas ſæpius impetat. Ergo 1°. ſi vel minimam corporis partem relinquit inſalutatam, cura imperfecta futura eſt. 2°. Si vel unicum in ductu quovis globulum, præſertim inquinatum non attingat, cura imperfecta futura eſt. 3°. Si vel unica virus particula non occurrat ſæpiùs, cura imperfecta erit.

(*p*) Id. Leonard. Botall. (*q*) Rondel. ibid. pag. 951. Nicol. Michell. ibid. pag. 754.

erit. 4°. Si minor Hydrargyri quantitas ſanguinem penetret, vel quæ penetrat, minus diu ſanguini mixta maneat, quam ut dictis conditionibus ſatisfaciat, cura imperfecta eſt.

§. IX.

Ptyalismum tertiæ ut plurimum inunctioni ſupervenire norunt Medici, deficere tamen aliquandò poſt decimam, plures teſtantur. „ Ultra ſeptem vices in-
„ quit Capivaccius, non illigendus æger; ſi non ex-
„ puit in ſeptem vicibus, nulla ſpes. " Quater decies, ſinè periculo, poſſe adhiberi inunctiones, aſſerit Vallisnerius 1693. „ ubi primum dentes dolere
„ incipiunt, vel Phlegmata per gingivas notabiliter
„ diſſolvi, vel ſuperfluiditates peccantes, aliâ regio-
„ ne, evacuari, tunc ab illitione deſiſtendum (*r*), quod tertia, 4, 5, 6, 9, vel decimâ die, plerumque accidit. Ludovicus Septalius, poſt ſputi apparitionem, iterandam ſemel aut bis inunctionem monet (*s*), alii præparata jubent mercurialia interiùs ſumere (*t*) ut motum lentè ſputum excitetur (*v*), & producatur ſalivatio; adeoque, in hac methodo, quæ impenditur mercurii quantitas, ſæpe tres, aliquando ſex vel octo, ad ſummum duodecim drachmas, non excedit.

§. X.

(*r*) Angel. Bolognin. Jacob. Cateneus. Johan. de Vigo, Mattheol. Botall. Dordon. &c. (*s*) Caution. Medic. de Morb. Gall. Septal. (*t*) Commun. Chyrurg. Anglor. Praxis. (*v*) Vid. Septal. ibid.

§. X.

Quamvis autem mercurius in minutiſſimas guttulas diviſibilis ſit, fidem tamen omnem ſuperare videtur, numerum particularum in quas vi vitæ, quantitas illa mercurii dividitur, adæquare numerum canalium, quibus corpus humanum coaleſcit in innumeras decreſcentium ſeries, ubique abeuntium in innumeros ubique orbes, vel innumeras ubique plicas convolutorum. Canalium numero adde numerum guttularum indefinitè parvarum, quæ in ſingulis volvuntur. Numero guttularum mercurii detrahi 1°. numerum, qua manus, vel chirothecas illinentis ſervi penetrant, aut ipſis adhærent. 2°. Numerum guttularum quæ linteaminibus ægri abſorbentur. 3°. Numerum guttularum quæ cuti, vel pilorum bulbis hærent infixæ, aut inde repelluntur. 4°. Numerum particularum quæ inter inungendum quocunque alio modo amittuntur, pauciſſimas ſanguinem penetrare fateberis, neque ſingulis humorum globulis occurſuras facilis credes. Sed ut rem paulo altius ſcrutemur. Supponamus 1°. duodecim drachmas mercurii cuti inunctas, partibus duodecim vicibus, intra duodecim dies, frictione ad ſiccitatem productâ; 2°. detractiones jam memoratas, duarum ſolummodo drachmarum eſſe; demus 3°. reliquas decem drachmas vaſis admiſſas, Aſt, ne vel harum quinque humoribus diu ſatis immixtæ, circulationis legibus obſequuntur, vel juxta capacitates vaſorum diſtri-

ſtribuuntur. 1°. Scilicet, cum excretorii ductus arteriarum ſint ubique propagines, qui in aortam qualibet cordis ſyſtoli impellitur; mercurius excernendis mixtus indeſinenter eliminatur, & quantitate imminuitur, eoque jactura major eſt, quo circuitu humorum, repetitis illitionibus adaucto, ſanguis ad organa excretoria velociùs appellit. 2°. Ubi oris ægritudo invaleſcit, gingivæ molleſcunt, & ſalivales glandulæ tumeſcere incipiunt, (quod quinta, ſexta, vel octava die, ſupponamus evenire) mercurii huc ſuapte quaſi naturâ affluentis (*x*) copia augetur, in reliquo corpore minuenda. Sputatione dein allicitur (*y*); dilatatis glandularum vaſis admittitur; apertis laceratis excretoriis elabitur & profluit ſalivæ commixtus, eo uberius quo Ptyalismus largior eſt, & oris ulcera plura ſunt atqve majora. Nonne timendum ne totus, quantus eſt, effugiat, antequam virus ubique latens deſtruatur; nonne timendum ne partes aliquæ illius præſidio omnino deſtruantur? Suum pariter obſtaculum afferunt diarrhææ, ſudores profuſi, urinæ profluvium, hæmorrhagiæ inunctionibus inductæ. horum ultimum cæteris minus frequens, morbo parùm ad-

(*x*) Voyez la 4me Lettre de Monſ. Cantwell imprime dans le Mercure de France 1749. mois de Septembre, ſur l'action du Mercure. (*y*) Braſſavol. de Curâ Morbi Gallic. Coll. Luſinian pag. 692. Alexand. Traj. Petron. de Mercur. Capit. inunct. repert, & Matulis Collect.

adhucdum debellato, videre aliquoties contigit ab ore, naribus, pudendis, hæmorrhoidibusque (*z*).

§. XI.

Ægrum Lue Venerea affectum, inungendum ita curavit Cantwellius noſter, ut ſingulis diebus linimenti ex axungiæ & mercurii æqualibus partibus compoſiti, duæ drachmæ adhiberentur (*a*), moto poſt ſextam frictionem Ptyalismo, qui ad trigeſimam diem productus erat, ab inunctionibus ceſſato, & ſervatis anno integro, quæ quatuor primis ſalivationis diebus fluxerat, ſexdecim ſalivæ libris, 72. hydrargiri grana in fundo vaſis reperta ſunt. Si elabentis ore mercurii quantitas eadem quâlibet die ſupponatur, ne vel unum finita vigeſima die granum corpori reliquum inerat. Si deperditionem ſuperius expoſitam drachmæ æqualem dederis poſt quindecim dies cum horis decem nulla ſupereat mercurii guttula. Si amiſſam reliquis ſecretionibus quantitatem, quantitatis ore effuſæ, unam tertiam judicaveris, ultra dies duodecim cum duodecim horis, nil mercurii ſupererit. Si tandem a prima inunctione ad motam ſalivationem, omnibus ſecretionibus drachmam conceſſeris, poſt decimam diem, mercurio plane expurgatum erit corpus. Quod temporis ſpatium brevius exiſtimaverim quam ut in eo, dicta hydrargyri quantitas, quæ ſingulis inſtanti-bus

(*z*) Vid. Aſtruc. Braſſavol. Cantwell aliique.

bus minuebatur, conditionibus ſupra ſtabilitis poſſet ſatisfacere. Si diutius humoribus mixtum inhæſiſſe mercurium dixeris, aſt ita inæquabiliter diſtributum non negabis, ut partes quasdam nunquam attigerit. Dato poſt 7. dies cum medio, mercurium totum eliminatum eſſe, concedendum pariter erit (*a*). Plus mercurii qualibet cordis ſyſtoli admiſſam eſſe ab aortâ aſcendente, quam a deſcendente, imò maximam hujusce portionis (aortam aſcendentem ingreſſæ) partem, per carotides externas provolutam, quin minores forſan quasdam ejusdem trunci ſoboles, ulla ſubierit mollicula. Si penultimam admiſeris ſuppoſitionem, minorem adhucdum mercurii quantitatem, aortæ deſcendenti concedes. Si antepenultimam, ne vel guttulam dabis. Si mercurii unâ cum ſaliva profluentis jacturam, gradatim a quarta ſalivationis die minutam ſuppoſueris; adeoque nec tam cito totum corpore excluſum, nec adeo paucum aortam deſcendentem ingreſſum, ac allatæ ſuppoſitiones intelligendum præbent; nonne ſaltem totum opinione citiùs effluxiſſe fateberis? Nonne ſuſpicaberis partes aliquas ab illo intactas fuiſſe? Aucta unâ ſecretione, cæteræ omnes imminuuntur, & dum uberiori ſaliva fluxu in os undique confluit, ſeroſo latice reliquæ depauperantur. Quidni & particularum mercurii Ptyaliſmum producentis, os

(*a*) Vid. Diſſertat. Laud. Cantwell. ann. 1749.

os & fauces exulcerantis? ratio alibi decreſcet, Non aliam poſſe reddi rationem recidivæ putaverim, ubi cura, per decem, a tractatione jam expoſita, menſes, radicalis viſa eſt.

§. XII.

Cum dubius adhucdum de Ptyaliſmi commodis, & incommodis, hæreret Cantwelius, ſequentia ſubit experimenta inſtituere. Sanum hominem drachmis ſex unguenti, ex unâ & duabus axungiæ portionibus compoſiti, eo inunxit animo, ut ſalivationem cieret. Sputatione tertiâ die exortâ, ſecundam illitionem eadem quantitate unguenti, non ante quintam diem celebravit. Ecce protinùs invaleſcens ſalivæ fluxus, copioſus admodum factus eſt. Die ſeptimâ veſperi nummum aureum, per quindecim minuta, ore retinendum curavit, nitor parum obfuſcatus, & inuſtæ alteri lateri notæ quatuor albicantes, mercurii in os appulſum denotarunt; excitato die nona ſudore largo, baculum capitulo ornatum aureo, manu ut comprehenderet juſſit, poſt ſemihoram aurum conſpurcatum, hydrargyro maculatum fuit. Miſſo die decima ſanguine, & ſubducta poſtridiè alvo, die decima ſexta, ſubſiſtente Ptyalismo notabili, qui ad 25. incluſivè diem productus erat, nummus aureus vaſi, in quod illitus expuebat immiſſus, per viginti quatuor horas, ſaliva coopertus permanſit, quin tamen ullam coloris mutationem paſſus ſit, ullamve mercurii notam contraxe-

traxerit. die 13. abſterſis unguenti reliquiis, totisque probe partibus inunctis, eundem nummum aureum cuidam applicuit, & faſcia ligavit, ut immotus loco per noctem detineatur, nulla mercurii veſtigia mane obſervata ſunt.

§. XIII.

Ptyalismo febris, ut plurimùm jungitur, motus humorum valde turbatur, ſanguis rareſcit; lymphatica quædam premit, humoris contenti curſum ſiſtit. Mirumne hac turbâ mercurium inæqualiter diſtribui, alia multum, alia paucum, alia nullum vaſcula ingredi; ſi lymphaticum compreſſum a ſanguifero oriatur, quod mercurius non ſubierat, tota fluidi ab arteria ſanguifera ad partem obſtructam columna, viru infecta permanet, & ſi eatenus ſecretio quævis augeatur, antequam tollatur obſtructio, reliqua cito maſſa vitiabitur. Præterea humorum nonnulli plures inſumunt dies, ut ad cor revehantur, ſi horum ſecretoria a ſanguiferis ſoboleſcant, quæ mercurius non ſalutaverat, curam imperfectam, mancam, recidivam certè futuram non inficiaberis.

§. XIV.

Denique ſi recidivam futuram prævideas, quòd mercurius vaſa, ductus, glandulas, cuncta, non pervadat, quid ſperandum arbitraturus es, cum virus Vene-

nereum hic, illic, ubique humoribus alte infixum, non niſi repetitis mercurii percuſſionibus delendum, in mentem revocaberis.

§. X V.

Hiſce rationum momentis ipſa conſentit praxis medica, ipſa experientia rerum omnium magiſtra. Lege Theſin ſupralaudatam Dom. Chicoyneau, quæ curatos non ægros tantum aliis laborantes morbis, ſed & aliunde ſanos omnis generis, imo robuſtos, ſine ullo Ptyalismo memorat. Lege Theſin Dom. Cantweli, in qua mancarum poſt longa ſalivationis tædia, incommoda, pericula curarum exempla habentur. Concludes mecum Ptyalismum perfectæ Luis Venereæ ſanationi adverſari, adeoque eam eſſe alteri cuivis methodo præferendam, in quâ quam maxima fieri poteſt quantitas mercurii in ſanguinem transfunditur, eique diu immixta manet, quin ullus excitetur Ptyalismus, aliave ſenſibilis evacuatio.

T A N T U M.